



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXII. De pace servanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI 1179.
 fuerit, quamuis ei poscenti venia non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.

XXI.

Treguas a quarta feria post occasum solis vsque ad secundam feriam in ortum solis, & ab aduentu Domini vsque ad octauas epiphaniæ, & a septuagesima vsque ad octauas paschæ, ab omnibus inuolabiliter obseruari præcipimus. Si quis autem treguam frangere tentauerit, post tertiam commotionem, si non satisfecerit, episcopus suus sententiam excommunicationis dictet in eum, & scriptam vicinis episcopis annuntiet, quorum nullus excommunicatum in communionem suscipiat: imo scriptam susceptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem hoc violare præsumpserit, ordinis sui periculo subiaceat. Et quoniam funiculus Eccles. 4. triplex non facile rumpitur, præcipimus, vt episcopi solum Dei, & salutis populi habentes respectum, omni * tepiditate seposita, ad pacem firmiter tenendam mutuam sibi consilium & auxilium præstent; neque hoc alicuius amore, vel odio prætermittant. Quod si quis in * opere Dei tepidus fuerit inuentus, damnum dignitatis suæ incurrat.

XXII.

Innouamus vt presbyteri, monachi, clerici, conuersi, peregrini, mercatores, rustici, euntes & redeuntes, & in agri cultura existentes, & animalia * quæ semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur. Nec quisquam * alicui nouas pedagiorum exactiones sine * auctoritate regum & principum consensu statuere, aut statutas de nouo tene-
Concil. Tom. 27. Mmm

* f. scilicet
 * cupiditate, *alias* tepiditate
 * hoc opere
 * quibus stant, & seminant
 * alicubi
 * auctoritate & consensu regum & principum statuere,

re, aut veteres augmentare aliquo modo temere præsumat. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus non destiterit; donec satisfaciat, communionem careat Christiana.

XXIII.

Cum dicat Apostolus, abundantiorum honorem membris infirmioribus deferendum, ecclesiastici quidam quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærentes, leprosis, qui cum sanis habitare non possunt, & ad ecclesiam cum aliis conuenire, ecclesias & cœmeteria non permittunt habere, nec proprii iuuari ministerio sacerdotis. Quod quia procul a pietate Christiana esse dinoscitur, de benignitate apostolica constituimus, ut ubicumque tot simul sub communi vita fuerint congregati, qui ecclesiam sibi cum cœmeterio constituere, & proprio gaudere valeant presbytero, sine contradictione aliqua permittantur habere. Caueant tamen, ut iniuriosi veteribus ecclesiis de iure parochiali nequaquam existant. Quod namque eis pro pietate conceditur, ad aliorum iniuriam nolumus redundare. Statuimus etiam, ut de hortis & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.

XXIV.

Ita quorundam animos occupauit sæua cupiditas, ut cum gloriantur nomine Christiano, Saracenis arma, ferrum & ligamina galearum deferant, & pares eis, aut etiam superiores in malitia fiant, dum ad impugnandos Christianos, arma eis & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua